



Beylagen.

No. I.

In nomine sancte et indiuidue trinitatis. Conradus, Dei gratia, Orientalis Marchio omnibus in perpetuum per testes rei noticia propagatur in posteros, cui venit robur et auctoritas, a testimonio litterarum. Cum itaque ea solum, quae diuinis indulgemus cultibus, post huius vitae decursum nobis suffragari debeant necesse est, vt si quid boni quandoque fecimus summo studio caueamus, ne malorum in posterum possit ingenio retractari. Sciant ergo presentes, et noscunt posteri, quod mediante pia sollicitudine Domini Marquardi, dilecti nostri parochiani in Githen ad refocillationem pauperum et pietatis incrementum, inibi in fundo proprietatis nostre hospitale inchoauimus, Cui ipsum in quo situm est fundum et sex pheuda (que len in vulgari vocantur,) contenta scilicet in veteri villa et contenta in Wickershagen, cum omni vtilitate, que nunc inest, vel unquam inesse poterit, dominio nostro renunciantes totaliter, assignauimus. Insuper quoddam virgulum inter Githen et Frankenhagen situm, et decimam piscium, qui in piscinis dictam ciuitatem munientibus capiuntur, ad recreationem debiliu et decimam molendini, piscinae ingentis effluxibus adiacentis pro nostro nostrorumque salutis remedio perpetualiter adiecimus, nullum inde penitus temporale expectantes emolumentum, sed tantum diuinam retributionem. Ne ergo quisquam in posterum huic facto nostro possit contradicere vel ipsum temere immutare, presentem paginam que huius facti certum maneat indicium fecimus conscribi et testibus, qui presentes aderant subternotatis, sigilli nostri impressione iussimus communiri. Nomina testium hec sunt, Gerardus Burggrauus de Licenic, Iohannes Burggrauus de Lubin, *Henricus Burggrauus de Rochlitz*, Otto frater suus, Henricus de Chorun, Gunterus de Rockesbergk, Albertus Dapifer de Groez, Gunzelinus et Theodoricus de Groez, Vlricus Dapifer, Vlricus Wolferamus, Albertus Stoltz, Iohannes pincerna, Castrenses de Rochlitz. Sacerdotes testes Marquardus, Parochianus in Githen, Conradus de Rochlitz, Iordanus de Mideweide, Siboto de Rockesbergk et alii, quam plures. Ego Iohannes capellanus et scriptor Marchionis recognoui. Acta sunt hec Anno dominice incarnationis M. CC. IX. Indictione XIII. in Rochelitz.

No. 2.

In nomine domini amen. Cum rerum mundanarum et actionum circumstantias stabilitatem cum tempore fortiantur, prouidum est eas litterarum suscipere firmitatem, vt perfectius Innotescant presentibus et futuris. Quas nos Fridericus
dei